



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCXV. De Gratia quae confertur infidelibus, qui ad fidem Christi  
convertuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hartmannus C. de Helderungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus à Tierborg Junior XII. Mag. Provinc. in Prussia.*

causâ brevitatis pertranseo. Postquam ergo (a) Jedetus quidam vir Nobilis & genere & moribus potens & dives, Capitaneus Sudovitarum de Kymenovia, non posset tam crebras & duras fratrum impugnationes à modo sustinere, cum omni domo & familia sua & mille & quingentis hominibus promiscui sexus cecisset ad fratres & baptizatus est; Sed Scurdo Capitaneus alterius partis Sudovix spretâ Religione fidei cum suis hominibus (b) versus terram Lethovix est profectus, & sic terra Sudovix usque in presentem diem remanet desolata.

## ANIMADVERSIONES

AD CAP. CCXIV.

(a) Jerofchinus eum vocat Idete. Strykovius vero in sua versione legit Jedekosz.

(b) Ex hoc loco, præter alias rationes, colligimus Sudaviam vel Sudi-  
niam antiquitus non fuisse sitam in extremis partibus Sambia, ubi  
hodie eam sitam esse conspicimus; sed potius ea continentem fuisse  
Lithvaniam, quoniam ex Sudovia facilis in Lithvaniam erat transi-  
tus. Videatur hoc optime demonstratum ab Henneb. in lib. de  
vet. Pruss. & in Comment. ad Tab. Geogr. Prussia.

## CAP. CCXV.

De

*Gratia quæ confertur infidelibus, qui  
ad fidem Christi convertuntur.*

Quicumque relicta Idololatria se transfert ad fidem Christi, fratres agunt cum eo misericorditer in hunc modum, (a) Si est generosus de nobili sanguine ortus bona & libera conferuntur & in tanta qualitate, quod secundum decentem possit vive-

Hartmannus C. de Heldringen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.  
 Conradus à Tierberg Junior XII. Mag. Prov. in Prussia

vivere statum suum; Si vero est ignobilis, servit & ipse fratribus secundum terræ Pruschiaë consuetudinem hæctenus observatam. Nisi meritis (b) vel demeritis eorum exigentibus aliter fiat. v. g. Ignobiles qui in apostasia seu aliis necessitatibus fidei fratribus fideliter adhæserunt, nunquam præclara ipsorum merita hoc exigunt, quod ignobilitas eorum in nobilitatem transeat generosam & servitus in debitam libertatem? Utique Domine. Et sanè hæc intelligas è converso. Unde multi sunt Neophyti in terra Pruschiaë quorum progenitores fuerunt de nobili profapia exorti; ipsi vero propter suam malitiam quam contra fidem & Christi fideles exercuerunt, ignobiles æstimati sunt; alii verò quorum parentes erant ignobiles donati sunt propter fideliam servitiæ fidei & fratribus exhibita libertate.

DEFRATRE BURCHARDO, MAG. GEN. ORD. DOMUS TEUTONICI.  
*Frater Burchardus de Schvanden Mag. Generalis IX. Ordinis domus Teutonice præfuit hoc tempore. Hic nescio quoductus Spiritu dum ad terram sanctam defensionem debuit transire petit à licentiâ & obtentâ habitum ordinis domus Teutonice deposuit & Ordinem Hospitaliorum assumpsit in quo postea est defunctus.*

*Explicit bellum Pruschiaë.*

ANIMADVERSIONES

AD CAP. CCXV.

(a) Reperiuntur hodiè quædam familiae Nobilium, quæ ex antiqua Nobilitate Prussica originem trahere putantur, ut familiae LESGEVANGIORUM, PERBANDIORUM, PARTEINIORUM, PRAXEINIORUM, MALGEDEINIORUM, MEERKIORUM. Accensimus hic in Originibus Prussicis etiam familiam KALNEINIORUM. Hennebergerus tamen in opere stemmatum M. S. Kalneinos hinc eximere videtur, notatque olim ipsos alio nomine (nempe der Sagenblauer) esse gavisos.

Pp

(b)

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teut.**Conradus à Tierberg Junior XII. Magister Prov. in Prussia.*

(b) Barbarè demerita dicuntur pro peccatis. Vid. Voss. *lib. i. de Vitiis Sermonis cap. 33. p. 144.*

### *Animadversio ad Vitam Bernhardi de Schwenden Magistri Generalis.*

De Bernhardo à Schwenden plura habet Jeroschinus. Tradit enim ille, Burchardum in Palæstinam cum quadraginta fratribus se contulisse, ut Acconam à Soldano obsidione cinctam defenderet. Sed postquam à Clero & civibus Acconensibus magnâ cum pompâ esset receptus, postmodum in Capitulo munus suum resignasse, Ordinemque Joannitarum cum consensu Pontificis intrasse; Tandem in ultimo mortis articulo regressum ad Ordinem Teutonicum anxie, sed frustra, petiisse, *fol. 144. b.* Auctor Chronici Latino sermone sub Friderico Duc. Sax. & Mag. Prussiae scripti, hæc habet: *Qui cum satis optimè Ducatum Venetiis VII. annis tenuisset, nescio quo Spiritu ductus per mare navigavit in Accaron, ibique officium Magistratus sui resignavit licentiâque obtentâ in Ordinem S. Joannis se recepit. Quem tamen postea penituisse legimus, & religionem iterum petivisse, sed petitionem non obtinuit, & ita anxietate præventum carnis debitum solvit in Rhodos Insula. Hæc ibi.*

## CAP. CCXVI.

### *Incipit bellum Lethowinorum.*

**A** Nno Domini MCCLXXXIII. eo tempore, quo ab incêpto bello contra gentem Pruthenorum fluxerant jam (a) LIII. anni, & omnes nationes in dictâ terrâ expugnatae essent, & exterminatae, ita quod unus non super esset, qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non subiceret collum suum. Fratres domus Teutonicæ prædicti contra gentem illam potentem & durissimæ cervicis exercitatumq; in bello, quæ fuit Vicinorum terræ Pruthia ultra flumen Memele in terra (b) Lethovia habitans inceperunt bellum in hunc modum.

ANI-